



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs

In quo hæreses & mores Pelagij contra naturæ humanæ sanitatem,
ægritudinem & medicinam ex S. Augustino recensentur ac refutantur

Jansenius, Cornelius

Lovanii, 1640

7. Quo gratiae adjuutorio fultus fuerit Ada[m]. Et primo de gratia habituali.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13650

Ad quos effectus se extenderit illa liberi arbitrij possibilitas.

CAPVT SEXTVM.

RESTAT videndum ad quos effectus se extenderit illa primava & libera facultas hominis in qua per creationem constitutus fuit. Neque enim necesse est ut in Pelagij opinione omnia omnino poterit. Nam in primis non ita absurdus erat ut omnes omnino hominis actiones sola vi voluntatis fieri posse crederet sine cuiusquam alterius vel potentie vel instrumenti subsidio: Neque enim hoc inter Catholicos Pelagianosque in quaestione vertebatur, utrum libero arbitrio huiusmodi naturales actiones, a primo homine vel ejus posteris fieri possent; sed istud, utrum actiones iuste ac bonae. Et enim de non peccando ac bene vivendo, non de volendo currendoque agebatur.

Qua in re duo spectari possunt, voluntas, ac potestas, hoc est, velle & posse, quae a se mutuo facile possunt separari dum contingit nos velle aliquid quod non possumus; & contra nolle quod possumus, de quo fufius alibi disputandum est: Pelagius igitur utrumque homini per primam naturae integritatem collatum esse statuebat, ita nempe, ut a voluntatis ejus nutu bene vivere seu non peccare penderet. Haec enim erat definitiva sententia:

Quo gratiae adjutorio fultus fuerit Adam & primo de gratia habituali.

CAPVT SEPTIMVM.

CONSEQUENTER autem inquirendum est, utrum aliquod gratiae adjutorium Pelagius ad bene vivendum primi hominis arbitrio necessarium existimaverit. Neque enim illa sibi aduersantur, ut a nutu liberi arbitrij iustamque injustamque vitam pendere, & simul tamen gratiam omnino necessariam esse judicaret. Si enim gratiam illam necessariam semper voluntati praesto assistere fingeretur, recte a nutu voluntatis gratiam adhibentis vel negligentis pendere iustitiam, & tamen sine gratia iuste vivi non posse diceremus. Quemadmodum sanctis oculis in perpetuo sole versantibus recte dicitur lumen ad videndum omnino esse necessarium, & tamen plane a libero pendere arbitrio voluntatis, ut videant. Cum ergo duplex gratia sit, habitualis, & actualis, de utraque quaestio discutienda est.

Gratiam habituaalem hic nihil nisi charitatem seu dilectionem Dei esse suppono qua voluntas ejus caeteraque facultates recte fiunt. Et quamquam perparum Pelagius de homine

A Quod Deus tam bonus quam iustus talem hominem fecerit, qui peccati malo carere sufficeret, sed si voluisset. Vnde Augustinus Pelagij sensum alijs verbis repetens, habet, inquit, posse per naturale subsidium, habet velle per liberum arbitrium, quod eodem sensu mutatis verbis Pelagius ita expresserat, voluntate non est, quod natura potest. Hoc est, id quod naturali institutione homo potest, nempe esse iustus, seu esse sine peccato & iuste vivere, si non sit, hoc solius liberae voluntatis culpa contingit, ex quibus liquet, ut uno verbo dicatur, tam firmam Pelagij autore conditam fuisse naturam hominis, ut omnia Dei mandata, quibus vel facere jubetur bonam vel a malo declinare, sive dilectionem ipsius Dei, sive proximi spectes, quibus impletis iuste vivitur, & omnis lex impletur, volendo dumtaxat implere potuisset: atque istam bonam seu bene vivendi voluntatem, perinde ac malam ab hominis arbitrio nutuque pependisse. Qua de re, quia nullum in Pelagij sentu inter Adamum & posteros ejus discrimen facit, paulo uberius forsitan, cum ad hominis lapsi vires ponderandas ventum fuerit, discremus.

Lib. de nat. & gratia c. 43.
Ibid. c. 55.
Ibid. c. 43.

A primo disseruerit, Ex ijs tamen quae de posteris ejus ab eo fufius disputata sunt, mens ejus satis superque colligitur & a discipulis ejus luculentissime proditur. Nam imprimis inter sententias quas Pelagius ficto animo in Concilio Palestino damnavit, haec una capitalis fuit: Quoniam infantes nuper nati in illo statu sunt, in quo Adam fuit ante pravicationem. Quod si fecisset, ait Augustinus, corde veraci, iam fortassis vestra heresis inveniisset. Est enim veluti basis qua totus ille error nititur: & quam ita pervicaciter mente servavit, ut eodem Augustino teste diceret, ideo se sententiam illam in ista Synodo condemnasse, quia parvuli praecipuum capere nondum possunt: ille autem potuit, nondumque utuntur rationali voluntatis arbitrio, quo ille nisi uteretur, non ei praecipuum daretur. Parvulos autem neque bonos neque malos nasci, sed esse rude opus Dei, innocentiae quidem dote locupletes, sed capaces dumtaxat virtutis & vitij Pelagius atque Tullianus ut suo loco tradendum est, pertinacissime tenuerunt. Ex quo manifeste sequitur nullam habituaalem gratiam qua in

Lib. de gestis pelag. c. 11. & 33.
Lib. 1. op. tit. imperf. con. tal. si. 142.
Lib. de praecipuum capere nondum possunt, cito orig. quo c. 15.

qua in primis & sola homo fit bonus. ut neque parvulis, ita nec primo homini cum conderetur in eorum opinione collatam esse. Sed id quod evidenti illa & certa rationatione tanquam consequens colligimus, hoc autor questionum veteris ac novi Testamenti, qui in tradenda Pelagianismi sinceritate etiam Pelagium plerumque superat, apertissime pro palavit. Docet enim Adam terrenum esse conditum, sed sine Spiritu Sancto, sine adoptione in Filium Dei, sine iustitia, hoc enim esse reservatum adventui Christi, per quem non tantum restauramur in statum Adae, per peccati remissionem, sed insuper adoptamur & melioribus donis ornatur. Sed, ipsum delirantem audiamus: *Comperi quosdam ex fratribus nostris non plene discubisse Scripturas sed simplicitate animi asserere, quod Adam factus sanctu accepit spiritum, quem peccatis amisit, sicut nunc datur credentibus. Et post longam disputatone allato Scripturae testimonio, factus est primus homo Adam in animam viventem, secundus homo in spiritum vivificantem. Primus homo de terra terrensus, &c. Quid tam apertum, inquit, quam quod Adam non habuit spiritum sanctum? Factus est enim in animam viventem, per Christum autem in spiritum vivificantem, ut homo in aliquo sensu sit creator, quem credit. Quia enim mysterium fidei, quod ad salutem datum est, trinus est, trinus sit, corpore, anima, & spiritu sancto per quem dicimus filii Dei: quod nuncime Adam probatur vocatus, & terrenus*

Autor qq. veteris & novi Testamenti 1. part. 9. 123.

enim factus est: Filij autem Dei non carnaliter sed spiritaliter nati, caelestes dicuntur esse. Et infra: Adae certe terrena & carnalis fuit factura non spiritalis. Non enim ex Deo sine carne & sanguine natus est, sed de terra à Deo factus est: ideoque non potuit spiritum sanctum accipere qui non erat spiritalis, & chi concessum non erat Patrem Deum vocare in oratione. Haec ille. Ex quibus absolutissime tradit sine ulla sententiarum caligine, nullam habitualement gratiam in cuius institutione Spiritus Sanctus, Spiritus adoptionis, Spiritus filiorum Dei, datur, Adamum in sua creatione accepisse. Hinc alibi per inspirationem illam in faciem Adae, animam, non Spiritum Sanctum vult esse traditum: *Tunc credentes accepto spiritu sancto (post Christi adventum) sunt filij Dei; nam inspiratio qua dicitur facta à Deo in Adam, anima traditio est. Neque aliud omnino arbitror Originem voluisse significare quando docet: quod in initijs hominum propositum fuisse ut ad imaginem & similitudinem Dei fieret, ad imaginem quidem factus est, similitudo autem dilata est, ob hoc, ut prius confideret in Deo, & ita fieret similis ei. Quam opinionem etiam alijs in locis subinde significat, & omnes Pelagiani ex eo haultam secuti videntur. Hinc enim est quod Pelagius passim docet etiam imaginem Dei in actibus consistere, & sine virtute ac vitio hominem procreari, ut infra dicitur.*

Parte 2. qq. vet. test. 93

Lib. 4. in Epist. ad Rom. inc. 4. fol. 334.

V. 13. perich.

In c. 3. ad Coloss. num. 16. & inc. 5. Epist. apud Actaron.

De scientia primi hominis.

CAPVT OCTAVVM.

NEQUE voluntas Adae tantummodo secundum Pelagianos omnis expert sanctificationis, per Spiritum Sanctum fuit, sed & intellectus omnis scientia. Nam ostendere nitens idem autor, Adam quamvis sine Spiritu Sancto fuerit conditus, tamen fuisse perfectum. *Omnia, inquit, genera animalium in suo genere perfecta sunt ut impleant id ad quod sunt facta: ita & homo in suo genere perfectus est, ut potens sit discernere mala à bonis, prava à rectis. Est enim animal intelligibile, perfectum ad id ad quod factum est. Capax est enim dicendi, excogitandi, & faciendi ut quae virtute non potest, impleat sensu. Et quomodo ausi sunt dicere, hominem perfectum nasci debere. Et totum scire quem vident, nil ultra nosse quam hic discat? Quod enim discit, nescit. Denique quoniam qui hic non discit, qualis sit nescit. Qui se ergo nescit, qualis sit, quomodo omnia novit, cum minus sit se nosse quam cetera? Nam si se perfectus factus esset ut nullius egeret, non fuerat homo, sed Deus, neque circumventus prevaricasset. Vbi satis aperte perfectionem Adae, quam ex conditione suscepit, in eo collocat, quod esset potens discernere bona à malis, capax discendi, non in eo quod plenus scientia institutus sit: sic enim quod scire vellet,*

9. 127. cit.

addiscendo ut ceteros, comparare debuisset. Cui prorsus consonat quod Pelagium de differentia primi hominis & ceterorum tradidisse diximus. Cum enim maxima invidia laboraret, quod etiam post Synodum Palestinam danato à se dogmati adhereret quo parvulos in eo statu esse dixerat in quo ante prevaricationem Adam fuit, quasi magnam attulit differentiam, non quod Adae plenus scientia fuisset conditus, sed quod praecipi capax: *Quid enim vobis prodest, inquit Augustinus, quod nescio quas ansas atque uncas, arte nescio cuius perplexitatis inseritis ne simplicia pateant & clara lateant? &c. Et tamen dicere potuistis infantes nuper natos non in eo statu esse in quo fuit Adam ante peccatum, quod ille praecipi capax fuerit, isti aduc non sint. Cui subterfugio cum aliam differentiam non invenirent etiam illud addidisse de diversitate statura firmitatisque corporeae, idem Augustinus indicat: *Cum hoc iste sic exponit, ideo non in eo statu esse in quo Adam fuit ante peccatum, quia nondum sunt in eadem firmitate mentis aut corporis, respondeatur ei &c. Ex quibus clarè liquet, quantum ad scientiam infusam nullum eos inter Adamum & parvulos discrimen agnovisse.**

Lib. 1. cont. Tul. c. 5. de peccato orig. c. 15.

Lib. de per. orig. c. 16.

